

## Ad beneuolum Lectorem.

**I**AM pedibus plures fugiunt velocibus anni,  
 Quo suasi Dominis, Lector amice, meis:  
 Ut sua depingi pateretur quisque colore  
 Lumina, visuris grata futura viris.

Sicq; suam proprijs ornarent vultibus Aulam,  
 Curia quæ nostræ cernitur ampla Scholæ.

Sed quoque describi sinerent; sculpiq; ; meisq;  
 Ornari metris, edier inde typis.

Obtinui. Cunctos ex ordine pinxit Elias.

Altitius, Hernbergæ ius modò ciuis habens.

Sic placuere Duci, ( qui nunc colit astra beatus  
 LVDVICVS, pietas quem meminisse iubet: )

Ut sibi depingi pulchrè curauerit; inter  
 Res animo charas condideritq; suo.

Ziberlinus in hac pictor bonus vrbe Iacobus  
 Inscripfit tabulis hæc simulachra pyri.

Lederlinus in hac sculptor bonus vrbe Iacobus  
 Solerti sculpsit, qua valet arte, manu.

Naetus at hæc quidam, clam me, neq; iussus, in auras  
 Protinus emittit, vendit, habetq; lucrum.

Hæc tamen editio quia non perfecta, querelis  
 Vox hominum iustis plena grauisq; fuit.

Esse Professorum hîc nonnullos, constat, omissos:  
 Ille suum Affinem, non videt ille Patrem.

Inuenias quibus est alienum nomen. an error  
 Hic leuis? haud æqua talia mente tuli.

Ergo opus hoc placuit limatius ire sub auras,  
 Auctor cuius ego, principiumq; fui.